



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod desiderandæ sint pro Christo tribulationes in hac vita, 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

collaudabo. Polum penetrabo mente, & desiderio tecum ero; ut in præfenti quidem miseria solo corpore tenear: tecum autem cogitatione & aviditate, atque omni desiderio fim semper; quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, multumque amabilis.

2. Sed ecce, Deus meus piissime ac misericordissime, dum tuæ immensæ bonitatis & pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit: excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas, & tua charitas. Sicut inestimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas; qua illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios, & tibi conjungis.

### C A P V T X V.

*Quod desideranda sint pro Christo tribulationes in hac vita.*

I. **O** Anira mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis ejus sociari; nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidentur ergo daemones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labo-

labores gravent, vigilia exsiccent: clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus; ingrediatur putredo in ossa mea, & subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

2. Quæ enim erit justorum gloria? quam grandis Sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut Sol? Cum ordinibus distinctis, populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere: & meritis atque operibus singulorum promissa præmia restituet; pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus fœlicitatis erit, cum Dominus adducet suos Sanctos in visionem paternæ gloriæ, & faciet in cœlestibus considerare, ut sit Deus omnia in omnibus.

## C A P V T X V I.

*Quomodo regnum cœlorum possit acquiri.*

I. **O** Fœlix jucunditas, & jucunda fœlicitas, Sanctos videre, cum Sanctis esse, & esse sanctum: Deum videre, & Deum habere in æternum & ultra. Hæc sedula mente cogitemus, hæc toto desiderio desideremus, ut ad eos cito pervenire valeamus. Si quæras, quomodo istud potest fieri, vel quibus meritis, quibusve auxiliis? Audi: Res ista

O 5

posita